



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

II. De divisione jurium Episcopatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

XII. Obiter addo, uti omnium ubique rerum principia parva sunt, suis verò progresibus & usu augmentur, ita & juribus Episcopatibus contigisse. Non omnium nempe fuit idem & simultaneus ortus atq; progressus; sed pleraque ea, quæ splendorem aliquem addiderunt, tenuia admodum habuerunt initia, nec animadversa fuerunt prius, quàm robur aliquod acceperunt, quod ipsis deinde Principibus formidabile extitit, nec in pristinum statum reduci potuit. Et quis enim putasset, Apostolos, homines pauperes, & ab omni splendore externo remotos, habituros tales successores, qui familiari suo apparatu cum Regibus decertare possent? Ita scilicet ex summis vitæ & fortunæ sordibus ad summas divitias pervenisse videntur Apostoli, & in successoribus suis possidere, quod ipsi repudiarunt semper & procul a se esse iusserunt. Sed & plurima alia, quæ inter jura Episcopalia communiter referri solent, non ex Apostolico, sed ex Ecclesiastico instituto primum orta sunt, uti, ubi ad speciem ventum fuerit, plenius exposituri sumus. Sola addam hic verba Concilii Hispalensis II. c. 7. *Quamvis cum Episcopis plurima illis (presbyteris) ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint; sicut presbyterorum & diaconorum ac Virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizatis vel conversis ex heresi paraclitum Spiritum tradere, nec chrismata conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publicè quidem in Missâ quenquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum precipitur, ut per hoc & discretio graduum & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur &c.* Ad novellas Ecclesiasticas & ad auctoritatem canonum refert ista Episcoporum axiomata, quorum maximam partem ex jure divino provenire mordicus defendit Ecclesia Latina.

## CAP. II.

### *De Divisione jurium Episcopaliû.*

#### I.

Vulgaris & maximè usitata apud Canonistas occurrit distinctio jurium Episcopaliû, quæ dicuntur quædam pertinere ad Episcopum jure ordinis, ut est Clericorum ordinatio, virginum benedictio, altarium & Ecclesiæ consecratio, &c. quædam lege jurisdictionis, ut corrigendi, conferendi, excommunicandi & influendi potestas: quædam lege diocesanâ, ut jus census & cathedralicum exigendi, decimam percipiendi, jus

holpi-



hospitii indicendi, & his similia. Lancellott. lib. 2. Instit. tit. 20. de immun. Eccl'es. §. 17. Quis verò distinctionem eam primus fabricaverit, incertum planè est, nisi quod Honorius III. aliquam ejus mentionem faciat primus, in c. dilectus 18. §. de offic. jud. ord. quam deinceps uberiore explicatione illustrare conatur Glossa, non tamen ita, ut Interpretibus, qui subsecuti fuerunt, satisfaciat.

II. Aliqui, quos levi incessu sequitur Glossa, certis regulis rem declarare voluerunt, illud nempe esse de lege diœcesanâ, quod in recipiendo consistit, ut est recipere tertiam oblationum &c. Legem autem jurisdictionis consistere volunt in conferendo, ut, ordines & similia. Id verò non placet Innocentio IV. Pontifici, cui non videntur hæc propria verba, uti loquitur ad c. 1. §. de stat. monachor. Nec aliâ ratione, inquit, dicuntur Lex diœcesana & jurisdictionis, nisi quia sic assumptæ sunt à jure. Ipse igitur per exempla distinctionem eam explicare mavult, quia, inquit, de his propriam & generalem doctrinam invariabilem dare nescimus. Sequitur Abbas Panormitanus ad d. c. dilectus ubi imperfectionis arguit hanc decretalem, quod non plenè explicet eam distinctionem, sed aliqua tantum ad utramque legem pertinentia referat, ex quo concludit, non nisi in expressis à jure diverfitatem inter istas leges statui debere, alioquin unicam tantum esse legem Episcopi, scil. diœcesanam, & sub eâ comprehendi legem jurisdictionis.

III. Ab his Præceptoribus edocti, qui secuti fuerunt Juris Canonici Interpretes, non aliter ferè nisi per exempla distinctionem istam proponunt, ea tamen adeò diversimode, ut nec in his quidem satis conveniant. Et quia nonnulli generalem volunt hanc observari regulam, quod omnia ea, à quibus monasteria jure communi sunt exempta, ad legem diœcesanam spectent, reliqua verò omnia ad legem jurisdictionis, Innocentius d. l. Augustin. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 1. n. 15. disquiri hinc cœpit, utrum quarta decimarum subsidium charitativum, jus mittendi clericos in negociis Ecclesiasticis, publicarum processionum indictio, & similia alia, Episcopo competant lege diœcesanâ, an lege jurisdictionis? Nec sine causâ mirabile sibi videri dicit Innocentius IV. ad d. c. dilectus, quod de lege jurisdictionis dicatur collatio Sacramentorum. Ecquam enim jurisdictionis rationem inesse dicemus in tali negotio, in quo nulla omninò locum habet Magistratûs jus reddentis potestas? Et hinc adeò apparet, quantoperè vocabulis istis abutantur Canonum Interpretes.

IV. Legis diœcesanæ quidem aliqua fit mentio in Concilio Ilerdensi anno DXXIV. celebrato, can. 3. non tamen eo sensu, quo volunt distinctionis antea memoratæ defensores. Verba referuntur à Gratiano c. 1. 10. q. 1. & c. cum pro utilitate 16. q. 1. & uti primitus concepta fuerunt, ita se habent: De monachis verò id observari placuit, quod Synodus Agathensis vel Aure-



Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantummodo adjiciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit in Clericatus officio, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Ea verò, quæ in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesanâ lege, ab Episcopis contingantur. Si autem ex Laicis quisquam, à se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam sub monasterii specie, ubi congregatio non colligitur, vel regula ab Episcopo non constituitur, eam à diœcesanâ lege audeat segregare. Hæc verba, quibus prohibetur Episcopus diœcesanâ lege contingere oblationes monasteriis factas, repugnare vulgò videntur & contrariari canonibus illis, quibus Monachi & monasteria Episcopis subjiciuntur. Idcirco, ne quâ in re sibi minus constet jus Canonicum, ita distinguere communiter solent Doctores, ut lege jurisdictionis, quam ipsi singularem & specialem fingunt, teneantur Monachi, ad observanda ea, quæ sunt ordinis & jurisdictionis propriè dictæ; reliquis verò juribus Episcopaliibus exempti sint, quæ specialiter legis diœcesanæ nomine comprehendantur. Atque sic putant, Patrum Ilerdensium hanc mentem & intentionem fuisse, Monachos generaliter per omnia & in omnibus lege diœcesanâ solutos esse, nec nisi ordinis & jurisdictionis lege teneri.

V. At verò nihil omninò est, ut verba in ipso canone satis perspicuè limitata generaliter accipiamus. Provocant Patres Ilerdenses ad Concilia Agathense & Aurelianense I. In illo, *can. 27. § 38.* in hoc, *can. 19.* monachi difertis verbis subjiciuntur Episcopis, & hoc observari volunt Ilerdenses, hoc tantummodo adjiciendum decernunt, ut monachus in Clerum ab Episcopo recipiatur cum Abbatis voluntate. Et porrò: ut Episcopus non attingat ea, quæ per oblationes destinantur monasteriis. Statuerat allegatum Concilium Aurelianense *can. 14.* ut de his quæ in altari oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi Episcopus vindicet. Id verò in oblationibus, quæ monasteriis fieri solent, noluit obtinere Concilium Ilerdense, & prohibuit, ne oblationes istas, quarum aliàs partem lege diœcesanâ, h. e. jure suo Episcopali, sibi vindicare posset Episcopus, attingeret. Id ergò, quod in specie de oblationibus prohibitum fuit, ad alia episcopalia jura extendi non debet, siquidem limitatio & exceptio ista sufficienter probat, in reliquis omnibus Episcopalem auctoritatem integram & illibatam manere.

VI. Inde verò conficitur porrò, nihil omninò differre legem diœcesanam & legem jurisdictionis, & legem diœcesanam nihil aliud esse, quàm jurisdictionem & potestatem Episcopalem, jus diœcesanum, jus commune, quod in spiritualibus habet in universâ diœcesi Episcopus, adeoque commentitiam esse distinctionem à Doctoribus hactenus multâ cum confusione traditam. Eadem omninò sunt, & jus Episcopale significant, cujus pluri-



mæ fuerunt partes potestativæ, quarum una fuit, res Ecclesiasticas moderari, & tertiam oblationum percipere. Hanc verò partem suæ potestatis commode monachorum studentes Episcopi remiserunt, ut annona largior illis suppeteret. Idque videtur jure singulari in provinciâ Tarraconensi, in quâ Concilium Ilerdense habitum est, propter summam veterum monachorum paupertatem introductum, neque id propterea vel ad alias Hispaniæ provincias, vel ad alias potestatis Episcopalis partes extendi debet. Vid. Franc. Florens *dissertat. jur. Canon. pag. 13. seq.* Et sic negatâ hâc distinctione evitari possunt scopuli omnes, qui occurrere solent in tam vasto juris Canonici oceano.

VII. Meliore ratione distingui à se invicem cœperunt potestas ordinis & jurisdictionis, ideò, quod potestas ordinis in plerisque articulis divinitus data, jurisdictionis verò aliunde & ex imperio seculari concessa fuerit. Sed utramque tamen ita sæpè confundunt Canonistæ, ut quæ cujusque propria sint, difficulter ab illis disci queant. Ita Martinus ab Azpilcueta Navarrus *in relect. cap. novit. §. de judic. n. 83.* ad potestatem ordinis refert tantum potestatem consecrandi; ad jurisdictionis verò potestatem omne reliquum, quod in Ecclesiâ Episcopo competit, etiam potestatem administrandi Sacramenta. Cum tamen nihil omnino sit in potestate administrandi Sacramenta, quod juris dicendi rationem habeat. Id verò non est prætereundum, plurima esse in potestate ordinis, & ea quidem omnia; quæ ex jure divino instituta sunt, quæ cum presbyteris sunt communia; si qua enim deinceps propria facta Episcopis, & presbyteris adempta fuerunt, constitutionibus Ecclesiasticis id tribuendum est & humano arbitrio. Uti enim libro primo exposui, nulla est jure divino inter Episcopum & presbyterum differentia, nulla ergò inter eos ex divinâ institutione jura singularia.

VIII. Quicquid verò hujus sit, cum magistralis illa distinctio ubique in scholis jam diu recepta fuerit, noluerunt eam Jcti nostri prorsus rejicere, dum tamen illa commodis exemplis explicetur. Ad potestatem scilicet ordinis referri debet potestas publicè docendi & prædicandi verbum divinum, potestas administrandi Sacramenta, potestas clavium sive ligandi & solvendi, potestas ordinandi, potestas investiendi, & ejusmodi alia. Lex diocesana consistit in subjectione & reverentiâ, quam omnes ejus dioceseos incolæ præstare Episcopo tenentur: item in administratione & gubernatione rerum atque bonorum Ecclesiæ mobilium atque immobilium, in decimarum perceptione, in visitatione, in inspectione ædificiorum, in curâ scholarum, viduarum, pupillorum &c. Ad jurisdictionem refertur audentia Episcopalis, & quæ ex eâ resultat decisio causarum, dispensatio,

su.



suspensio ab officio, remotio & degradatio, aliæque poenæ canonicæ.  
Carpzov. in *Jp. Consist. lib. 1. def. 4.*

IX. Cum verò potestas Episcopalis, qualis hodiè existit, sit ens ali-  
quod aggregatum, ex pluribus partibus heterogeneis compositum, & Epi-  
scopi adeò alienis plurimis superbiunt, quas quidem ipsi vel vi rapuerunt ali-  
quando, vel liberaliter concessas ita proprias sibi fecerunt, ut jure suo sibi  
competere assererent, neque beneficium agnoscerent, non insubidum hìc  
erit, jura illa, quæ Episcopalia communiter vocari solent, si ita distinguan-  
tur, ut, quod cuique proprium est, vindicetur, & ad principia prima refe-  
ratur. Inter ea nempe sunt aliqua, quæ solis Ecclesiæ ministris competunt  
jure divino, quæque proinde neque à magistratu neque à populo expediri  
possunt aut debent, & ea jure merito Episcopis solis relinquuntur, ut sunt  
e. g. docere verbum, administrare Sacramenta, absolvere à peccatis &c.  
Aliqua ad solum pertinent magistratum politicum, aut eum potius, qui  
*τὸ κύριον* tenet in Rep. & hæc Episcopo, ut tali, nullatenus competunt, ut  
est jurisdictio forensis, quæ adjunctam habet potestatem *ἀναγκαστικὴν*, item  
indictio conciliorum, institutio Academiæ &c. Aliqua porro ad to-  
tam Ecclesiæ, ut ea est corpus ex magistratu, clero, & populo constans,  
pertinent, quæ nullatenus aut magistratui soli, aut sacerdotibus solis, aut  
etiam soli populo, ut à magistratu & sacerdotibus distinguitur, tribui pos-  
sunt, ut est e. g. electio ministrorum Ecclesiæ. Aliqua denique ad mini-  
sterium & magistratum conjunctim pertinent, quæ status unus sine con-  
cursu alterius expedire commodè non potest, ut est visitatio Ecclesiarum,  
cognitio de causis decernendæ excommunicationis &c. Quæ omnia ho-  
diè ita sibi propria fecerunt Episcopi, ut magistratui & populo nihil reli-  
quum fecerint, neque principes aliter accedere velint, nisi ut exequantur  
illud, quod sibi visum fuerit commodum & conveniens.

X. Postquam igitur in Imperio Germanico Principes Evangelici po-  
testatem circa sacra jure proprio, & quia Principes sunt, sibi competentem  
recuperarunt, uti alias plenius dixi, rectè etiam præcipua illa jura, quæ PAPA-  
tu florente Episcopi ad se rapuerant, & hinc Episcopalia dicta fuerunt, quo-  
dam quasi postliminii jure sibi vindicarunt, ita tamen ut ea, quæ solis Eccle-  
siæ ministris propria dixi, nullatenus attingant, nisi quatenus externis qui-  
busdam circumstantiis vestiuntur, quas imperio Principis subjectas esse, ipsa  
earum conditio ostendit; reliqua verò expediant vel ipsi suo nomine im-  
mediate, quæ inter reservata Principis rectè referuntur, vel mediatè per  
Consistoria & judicia Ecclesiastica à se constituta, quibus præficere solent  
judices ex utroque ordine mixtos, Theologos scil. & JCtos. Et hìc repe-  
tenda est distinctio, quam alibi explicavimus, quod potestas Ecclesiastica  
alia sit interna, alia externa; illa proprium Ecclesiæ ministerium, quod in



prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, ordinatione &c. confistit, comprehendat, hæc verò causas alias Ecclesiasticas concernat, Principis inspectioni succumbentes, ejusque constitutionibus materiam subternentes. Quas prolixius exponere non est hujus loci.

## CAP. III.

## De Jure docendi verbum divinum.

## I.

**E**X instituto divino nemo sibi hunc honorem sumere debet, nisi vocatus. *Ebr. V, 4.* Vocetur necesse est, qui sacris manum admovet. Quomodo enim prædicabunt, nisi missi fuerint. *Rom. X, 15.* Ex quo rectè concluditur, non vocatis, etsi eruditione & internâ facultate docendi sufficienter instructis, non licere docere publicè in Ecclesiâ, per interdictum non solum humani & positivi, quod in plerisque omnibus Ecclesiis prostat, sed etiam divini juris. Et in hoc scilicet triumphat Apostolus, quod vocatus, quod ad Evangelium prædicandum segregatus sit, & ex eo speciales sibi tribuit dignatis titulos. *Rom. I, 1.* Quemadmodum enim Christus ipse non usurpavit sibi honorem dignitatis Regiæ & Sacerdotalis, sed utrumq; à Patre acceptum exercuit: sic etiam nemo sine vocatione divinâ, publica munera in Ecclesiâ usurpare debet, ejusque vocationis unusquisque, qui vocatus est, conscius esse debet, nec munus istud Ecclesiasticum aggredi licet prius, quàm de legitimâ vocatione per externa symbola constiterit.

II. Optimè in hanc rem Leo Magnus *epist. 62. ad Maximum Episcopum Antiochenum*: Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille monachus, sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur. Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta & sana sunt, sapiant; non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, quum in Ecclesiâ DEI omnia ordinata esse conveniat. Et *epist. 63. ad Theodoretum Cyri Episcopum*: Specialiter statuentes, ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus sive ille sit Laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine gloriatur. Nempe non sufficit scientia, & eruditio, quantumvis insignis & planè singularis, cum ea utique in Laico sæpè excellentior esse queat, quàm in Sacerdote; sed necesse est, ut accedat specialis vocatio, quâ quis destinatur ad ministerium Ecclesiasticum, & per quam præter divinum, quam ab ingenio habet, etiam *ἐξ ὀρίων* accipit, extrinsecus & à populo vocante sibi communicatam.

III. In-